



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Thomæ A Kempis Canonici Regvlaris Ord. S. Avgvstini De Imitatione Christi Libri Qvatvor

Thomas <von Kempen>

Antverpiæ, 1617

Cap. X. De gratitudine, pro gratia Dei.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45760](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45760)

aut non senserit feruoris diminutionem. Nullus sanctus fuit tam altè raptus & illuminatus, qui priùs, vel postea, non fuerit tentatus. Non enim dignus est, alta Dei contemplatione, qui pro Deo non est exercitatus aliqua tribulatione. Solet enim sequentis consolationis, tentatio præcedens esse signum. Nam tentationibus probatis, cælestis promittitur consolatio. Qui vicerit, inquit, dabo ei edere de *Apoc. 2.* ligno vitæ.

8 Datur autem consolatio diuina, vt homo fortior sit, ad sustinendum aduersa. Sequitur etiam tentatio, ne se eleuet de bono. Non dormit diabolus, nec caro adhuc mortua est: ideò non cesses te præparare ad certamen: quia à dextris & à sinistris hostes sunt, qui numquam quiescunt. *1. Pet. 5.*

CAP. X.

De gratitudine, pro gratia Dei.

ICVR quæris quietem, cùm natus sis ad laborem? Pone te ad *Iob 5.* patientiam magis, quàm ad consolationes: & ad crucem portandam magis,

Luc. 14. magis, quàm ad lætitiã. Quis enim sæcularium, non libenter consolationem & lætitiã spiritualem acciperet, si semper obtinere posset? Excedunt enim spirituales consolationes, omnes mundi delicias, & carnis voluptates. Nam omnes deliciæ mundanæ, aut vanæ sunt, aut turpes. Spirituales verò deliciæ, solæ iucundæ & honestæ, ex virtutibus progenitæ, & à Deo puris mentibus infusæ. Sed istis diuinis cõsolationibus, nemo semper pro suo affectu frui valet? quia tempus tentationis, non diu cessat.

2 Multùm autem contrariatur supernæ visitationi, falsa libertas animi, & magna confidentia sui. Deus benè facit consolationis gratiam dando: sed homo malè agit, non totum Deo, cum gratiarum actione, retribuendo. Et ideo non possunt in nobis dona gratiæ fluere, quia ingrati sumus auctori: nec totum refundimus fontali origini. Semper enim debetur gratia, dignè gratias referenti: & auferetur ab elato, quod dari solet humili.

3 Nolo consolationem, quæ mihi aufert compunctionem: nec affecto
con-

contemplationem, quæ ducit in elationem. Non enim omne altum, sanctum: nec omne dulce, bonum: nec omne desiderium, purum: ne omne charum, Deo gratum. Libenter accepto gratiam, unde semper humilior & timorator inueniar, atque ad relinquendum me paratior fiam. Doctus dono gratiæ, & eruditus subtractionis verberare, nõ sibi audebit quidquam boni attribuere: sed potius se pauperem, & nudum confitebitur. Da Deo, quod Dei est: & tibi ascribe, *Mat. 22* quod tuum est: hoc est, Deo gratias pro gratia tribue; tibi autem soli culpam & dignam pœnam, pro culpa debere sentias.

4 Pone te semper ad infimum, & dabitur tibi summum: nam summum, non stat sine infimo. Summi sancti apud Deum, minimi sunt apud se. Et quantò gloriosiores, tantò in se humiliores. Pleni veritate & gloria cælesti, non sunt vanæ gloriæ cupidi. In Deo confirmati & fundati, nullo modo possunt esse elati. Et qui totum Deo ascribunt, quidquid boni acceperunt, gloriam ab inuicem non querunt:

runt:

runt: sed gloriam, quæ à solo Deo est, volunt: & Deum in se, & in omnibus Sanctis, laudare super omnia cupiunt, & semper in idipsum tendunt.

5 Esto igitur gratus pro minimo, & eris dignus maiora accipere. Sit tibi minimum, etiam pro maximo: & magis contemptibile, pro speciali dono. Si dignitas datoris inspicitur, nullum datum paruum, aut nimis vile videbitur. Non enim paruum est, quod à summo Deo donatur. Etiam si pœnas & verbera dederit, gratum esse debet: quia semper pro salute nostra facit, quidquid nobis aduenire permittit. Qui gratiam DEI retinere desiderat, sit gratus pro gratia data, patiens pro ablata. Oret, vt redeat: cautus sit & humilis, ne amittat.

CAP. XI.

De paucitate amatorum crucis IESV.

HABET Iesus nunc, multos amatores regni sui cœlestis, sed paucos baiulatores suæ crucis. Multos habet desideratores consolationis, sed paucos tribulationis. Plures inuenit
focios